



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. De Insulâ Cretâ, seu Candiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

defæuit, puberes omnes iugulauit, impuberes cum mulierculis Constantinopolim abduxit, vnde nouas Græcorum, & Turcarum colonias huc submitit.

CAPVT IV.

De Venetâ ditione in Græciâ.

CRETAM Insulam ægrè reseruauere sibi in Ægæo mari Veneti ex quo perdidere Cyprum, & S. Ioannis Hierosolymitani equites ex Insulâ Rhodo eiecti sunt. Exinde tamen sapientiâ suâ perfecere, vt in fide persisteret à quo fidem nullam solent expectare Christiani, nam ab eo tempore non Cretam modò, sed & Cytheram, & Tenum præfidiis retinere Veneti vsque ad nostra tempora, quibus bella inter Christianos Europæos, Turcam ad fœdera violanda impulerunt.

§. I. *De Insulâ Cretâ, seu Candiâ.*NVM. I. *Nomen & Quantitas.*

DE nomine nihil occurrit quod dicam, nisi quod *Candia* dicatur, habeatque primariam ciuitatem iam toti Insulæ cognominem.

Quantitas eius spectata secundum *Longitudinem* ab *Hermico* Prom. ad Prom. *Salomonis* 4. gradus maioris circuli continet; ideòque 240. mil. pass. leuc. Franc. 120. Germ. 60. Secundum *Latitudinem* verò à *Cabo Sasoni* ad ostia fluij *Linco* gradum vnum complectitur cum 10. minutis, igitur 70. mil. pass. 25. leucas Francicas, 17. cum dimidiâ Germanicas.

NVM. 2. *Qualitas Crete.*

FERTILITATEM Crete id maximè arguit, quòd in quibusdam eius Insulæ locis, bis in anno seratur, bis metatur. Vinum hinc generosissimum effertur, vulgò *de la Maluoisse*, olim vinum Pramnium. Tota est penè cupressis confita, vnde Veneti arculas faciunt suas. Montes etiam pascuis læti, quare hinc armenta Bucera, & oves innumeræ. Neque ceruos, neque lupos, aut vrsos & vulpes

pes alit, immo neque serpentes, eos potissimum qui veneno nocent, nisi fortè Phalangium, vulgò *Sphalangi*, Italis *Tarantula* quod species videtur Aranci; quem pungit istud animal, enecat stupido quodam dolore, cui malo Harmonia medicinam facit. Insula portus habet commodissimos & plures, quare nonnisi ægrè seruari potest contra potentissimum hostem.

NVM. 3. *Mores Cretensum.*

CRETENSES in præsentia molles & timidi, si *Sfachiotas* exceperis hominum genus ad arma natum, quorum dialectus est Italica multis vocibus Græcis admixta; *Tzopelonas* hos Græci vocare solent, quoniam eorum pleræque voces inchoantur à TZ. Reliqui mores induere Dominorum suorum. Indigenæ malè inter se conveniunt, ex quâ discordiâ imminet Insulæ ruina. Certè ætate nostrâ Turcas à Sfachiotis adiutos esse, Veneti grauitèr conqueruntur.

NVM. 4. *Politia Creta.*

AD Insulam administrandam altero quoque anno duo Veneti nobiles mittuntur, Dux vnus, alter Capitaneus dicitur. Quatuor millia stipendiariorum seruant Insulam, quibus adiunguntur mille *Sfrachiotæ*, quos indigenæ patres suos, atque tutores vocant. Veneti totam Insulam inter suos nobiles distribuerunt in 394. Baronias, *Caualerias* nominant, quas iterum in municipia diuiserunt, *Seruanteries* indigetant. Nobiles quoque Cretenses nobilibus Venetis accensent, vt eos in fide & obsequio Reip. suæ contineant. Nunc verò magnâ eius parte potitur Ottomanus, Venetis reliquias Insulæ ægrè seruantibus, indigenis aut mussitantibus, aut etiam ad nouum Dominum aspirantibus.

§. 2. *De minoribus Insulis Græciæ iuris Veneti.*

NVM. 1. *De Corcyra.*

CORCYRA, hodie *Corfou*, seu *Corfu*, excurrit secundùm longitudinem à *Lascano* Pro. Australi ad Pro. *Sidari* Boreale ad 40. mil. pass. patet: quæ longitudo est Geographica latitudo: secundùm latitudinem à Castro S. Angeli, quod *Sant Agnòlo* vocant ad Corcyram 20. millia passuum, ambitus eius centum millibus definitur.

Parall. Geogr. Tom. II.

Nnn